DE ITALICARVM RERVM VARIETATE, ET ELEGANTIA, LIBRI X.

IN QVIBVS MVLTA SCITV DIGNA recenſentur de populorum vetuſtate, dominio, & mutatione:

Item de prouinciarum proprietate, & Romanæ Eccleſiæ amplificatione; præcipueq́; de Ticini vrbis primordiis, eiuſq́; agri qualitatibus, ac de Ticinenſium rebus antiquitùs geſtis.

Bernardo Sacco Ticinenſi patritio autore.

Eiuſdem de Papienſis Eccleſiæ dignitate, nulli metropolitano ſuppoſitæ, enarratio, pro ciuitate & eius Reuerendiſſ. Epiſc. anno 1566. edita.

Ad hæc, de dignitate Gymnaſij Ticinenſis HENRICI FARNESII *Eburonis encomium, nec non & priuilegia omnia à diuerſis ſummis Pontificibus Epiſcopis Ticinenſibus per tempora conceſſa, adiecimus,*

Cum autoris Sacci vita, ac Indice rerum & verborum omnium refertiſſimo.



R

Joh: Georg: Sen...

TICINI,

Apud Hieronymum Bartolum. M D LXXXVII.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

PERILLVSTRI COMITI ALPHONSO BECCARIAE,

Hieronymus Bartolus.

ERAT olim apud Sunitas, ALPHONSE BECCARIA vir Ampliſsime, in more poſitum, vt quotannis adoleſcentes iudicarentur, & optimus qui haberetur, quam vellet virginem præmij loco in vxorē duceret. Id ſi apud nos modo, verum hac ratione, fieret: vt qui optimus eſſet iudicatus, ei ſummus tribueretur honoris gradus, nemini verendum eſt, quin iampridem in eo eſſes poſitus, tantumque cæteros antecelleres dignitate, quantum eos ſuperas doctrina, & virtute. Quanquā tamen longè magis ſummam virtutis tuæ præſtantiā ſuſpicio, quàm illa gloriæ faſtigia, quæ ſæpe à bonis viris contemnuntur, tanquam fortunæ ludibria. Neq; eum te eſſe duco, qui cùm, in domeſticis exemplis non egeas, vel abundes potius reip. benè adminiſtratæ gloria, vlla mouearis populari aura. Tantum quippè Gens Beccaria, quæ à Caro Imperatore originem traxit, floruit armorum gloria, vt non ſolum Martis ſoboles olim ſit credita: ſed etiā à Marte ſit denominata: id teſtatur apertè Numeriani Imperatoris filius, & Cari Imperatoris nepos: qui propter incredibilem rei bellicæ virtutem, qua veluti Mars terrori erat hoſtibus, Beccarius tāquam ex Marte genitus primùm eſt vocatus. Nam cū Martem Græci Ἀρηα dicunt, eximius ille Imperator, ab ἐκ & Ἀρηα Beccarius, veluti ex Marte in lucē editus, nomen accepit. Quorſum? vt quantū Marti tribuimus, tantùm fateamur nos de-

bere ſummæ gentis tuæ virtuti. Nec te colo vt ex Imperatorio ſanguine cretum, ſed vt virum ea virtute ornatum ſolum, quæ clauum docet tenere Imperij. Probatos item tuos mores omitto. quod tamẽ cum facio, non Ariſtippus, qui interroganti, quid eſſet in hac vita maximè admirãdum, virum bonum eſſe, reſpondit, melius vnquam de viro bono ſenſit, quàm ego certè quidem de te ſentire ſoleo. Multum amicis, plurimũ virtuti, patriæ omnia tribuis, iure hoc quidem. Patria enim cum denominationem habeat à patre, articulum à matre, vt intelligamus illam vtriuſq; parentis vim & naturam habere, quid non tribuamus patriæ? Nam quod illa te vnicè diligit, ſuum decus diligit. Siquidem vt corporis forma elegans nihil eſt niſi partium pulchritudo: ita patriæ ſplendor, virtus eſt ſolum ciuium: quæ in te duplex eſt. Vna quòd nauiter publicæ vtilitati das operam, altera quòd vitæ tuæ teſtimonio doces quid ſit ius, quid ratio: quæ res ciuibus plurimum affert commodi. Siquidem vt qui eſuriunt, magis fame irritantur, ſi quem conſpexerint edentem: ſic qui virtutum ſunt ſtudioſi, magis inflammantur ad virtutem, cùm cernant te omni virtutis genere florere. Quid? ita patriæ prodes, vt videaris in eius amore, Pompeium Magnum vicisse. Ille enim in vitæ diſcrimine pro patria poſitus, hortantibus aliis vt gradum reuocaret, vrget, exclamauit, neceſſitas vt patriæ conſulamus, non vrget vt viuamus: tu verò etiam in ſilentio ea pręſtas, vt omnes ſine tuis verbis intelligant patriæ vtilitatem omni vita tibi eſſe chariorem. Quare exiſtimaui me tibi pergratum facturum, ſi opus hoc, id eſt decus patriæ, quod in hoc opere video incluſum reſidere, de integro expreſſum, & plurimis mendis repurgatum, tuo nomini, vt facio, ſacrarem. Nam veteri exemplo hæc adiecimus, quæ nunquã antè in lucem prodierunt. Auctoris primum de Eccleſiæ Papienſis dignitate enarrationem: deinde HENRICI FARNESII de eximia Gymnaſij Papienſis præſtantia Encomium: tum Priuilegia omnia à ſummis ante Pontificibus eius inclitæ ciuitatis Epiſcopis tradita. Quare opus hoc accipies primum, deinde ab eo, qui omnia tua cauſa velit; & accipies tanquam pignus eximiæ eius in te voluntatis. Vale.

BERNARDI SACCI HVIVS LIBRI AVTORIS VITA.

SAccorum familiam inter antiquas patritiasq; Ticini vrbis connumerari, palàm eſt. Hæc multos claros genuit viros, qui tum armorum tum literarum ſtudiis domi & foris eam mirificè illuſtrarunt: ſed tres præcipuè, qui noſtra, noſtrorumq; patrũ & auorũ memoria præ cæteris effulſere. Ortus eſt enim ex ea clariſſimus olim ille Cato iuriſconſultorum ſuæ ætatis facilè princeps, qui cùm in celebrioribus tùm Italiæ, tùm Galliæ Academiis Romanæ iura in prima ſede publicè interpretaretur, ad illum audiendum, tamquàm ad alterum Catonem è cœlo demiſſum, iuris ciuilis ſtudioſi ex omnibus Europæ partibus confluebât. Demumq; cùm Bononiæ aliquandiù profeſſus fuiſſet, ætate iam confectus, in patriam ſe recepit: vbi conſtructo, inſtitutoq; Tranſalpinorum ſtudioſorum, quos ſcholares vocant, collegio; nonnullisque in lucem editis iuris interpretationibus, diem ſuum obiit. Aetate verò noſtrorum patrũ ac noſtra, duo extiterunt eiuſdẽ Catonis ex fratre trinepotes, & inter ſe patrueles: quorũ alter fuit illud militaris diſciplinæ decus Hieronymus Saccus: cuius præclara facinora, & imprimis bella, quæ dux militum in Subalpinis pro inuictiſſimo Carolo huius nominis quinto Imperatore contra Gallos, tunc eam prouinciam infeſtantes, ſtrenuè geſſit; quoniam apud plurimos noſtræ tempeſtatis rerum ſcriptores latè legi poſſunt, minimè hoc loco, cùm ad inſtitutum noſtrum non pertineant, à nobis ſunt repetenda. Alter verò fuit Bernardus Saccus Ticinenſis hiſtoriæ doctiſſimus ſimul & elegantiſſimus ſcriptor, de cuius vita, quod inſtituti noſtri eſt, quàm paucis à nobis nunc agendum eſt. Natus eſt igitur Bernardus Ticini idibus Septembris, anno ſalutis noſtræ 1497. ex patre Iacobo, iuris vtriuſq; doctore, ac in patriæ Academia publico eiuſdem facultatis profeſſore: matre verò Blanca ex patritia pariter Euſtachiorum Ticinenſium familia. Ab ineunte ætate moribus liberaliter à parentibus educatus, literis etiam operam dedit, in qui-

bus mirum in modum profecit: nam præter Latinam & Etruſcam lin-guam, Græcam etiam pari facilitate didicit, ac calluit. Adoleſcens effe-ctus cum magno hiſtoriarum, poeticæq; ſtudio detineretur, à patre iuri ciuili Pontificioq; operam dare coactus fuit. In quo quidem ſtudio per quinquennium verſatus, quamuis plurimũ profeciſſet, proptereaq; do-ctoratus, vt vocant, inſignibus publicè dignus haberetur, eam tamen di-gnitatem, tamquam ab homine libero alienam, renuit. Adultæ verò æta tis factus, increbreſcentibus tunc temporis in Italia & præcipuè in Inſu-bribus & in Ticinenſi agro inter Carolum quintum Romanorum Impe-ratorem, & Franciſcum Gallorum regem bellorum tumultibus, quibus Ticinenſis gymnaſij ſtudia vnà cum vrbis tranquillitate ſublata fuere; ipſe paci otioq; deditus, patria ſecedens, Mirandulam agri Ferrarienſis oppidum, tamquam ab eiſdem tumultibus tutiſſimum receptaculum, primùm profugit: vbi apud Ioannem Franciſcum Picum oppidi dominũ, (comitem vocant) cui ob præſtantem virtutem atq; excellens ingenium acceptiſſimus fuit; pro magiſtro epiſtolarum adeò ſtrenuè, ac prudenter aliquandiù ſe geſſit, vt ab eodem Pico ad Alfonſum Eſtenſem tunc Fer-rariæ regulum, ad alioſq; principes legatus miſſus fuerit, maxima ex eiſ-dem legationibus laude ſemper reportata. Deinde Curtem maiorem in agro Placentino venit; vbi apud Ludouicam Pallauicinam oppidi Mar-chioniſſam, vt vocant, ac marchionum eius filiorum minorum tutricem, eodem magiſtri epiſtolarum munere functus fuit: mox illius omnibus in rebus peragendis prudentia, ac dexteritate à Ludouica perſpecta, ab eadem aſſeſſoris primùm, deinde oppidi iuſdicentis, poſtremò eiuſdem oppidi omniumq; aliorum circumiacentium pagorum familiæ Pallauici-næ iuriſdictioni parentium, præfecti generalis loco cohoneſtatus fuit. Marchionum quoque Pallauicinorum precibus pecunijſq; Iacobum pa-trem, ac Scipionem fratrem natu minorem, à Gallis Ticinum vrbem anno 1527. ſub Lotrecco duce diripientibus, captos & in Galliam abdu-ctos, eò profectus redemit, in patriamq;, & inde vnà cũ matre ac tota fami lia, quę Ticini remãſerat, Curtem maiorẽ reduxit. Cumq; Ticino excidiũ denuò immineret, vt illicò euenit, Hiſpanis militibus illud diripiẽtibus, familiam ipſam Mirandulam tranſmiſit, Picoq; commendauit; qui iuſdi-centis, aſſeſſoris, iudicisq; appellationum munera Iacobo patri, ob filij erga ſe benemerita, ſucceſſiuè contulit; Scipioni etiam fratri commodis factis. Et cùm eoſdem ad proprios lares paulatim perducere vellet, Fiden tiolæ oppidi inter Parmam & Placentiam ſiti, iuſdicentis munus, Pallauicinis, quorum ditionis eſt, pro patre obtinuit. Poſtremò ſedatis bellorum motibus, Bernardus vnà cum patre & familia in patriam ſe re-cepit, ab Hieronymo Rubeo viro illuſtri, ac Ticini Epiſcopo, accitus:

à quo

Digitized by Google

à quò Epiſcopalis palatij vetuſtate collabentis, refectioni, aliiſq; rebus epiſcopalibus adminiſtrãdis præfectus fuit, in eoq; perſeuerauit munere, quouſque à Franciſco Secundo Sfortia Mediolani regulo, cui, non modo notus, ſed etiam valde acceptus erat, anno 1534. legatus ad Franciſcũ Gallorum regem memoratum deſtinatus fuit: apud quem benignè exceptus per annum permanſit, eum per diuerſas Galliæ partes peragrantem ſemper comitando. Interea audita patris morte, matriſq; & aliorum tùm amicorum, tùm ſanguine ſibi coniunctorum literis ſolicitatus, domum rediit, anno ſcilicet 1535. quo etiam regulus ipſe Mediolani Franciſcus mortuus eſt. Dum autem rebus ſuis familiaribus ſic compoſitis in patria curis ſolutus otio literario vacaret, bis Romam ad comitis Brunori Gambaræ atq; Virginiæ Pallauicinæ eius vxoris, ac Pauli tertij ſummi Pontificis nurus, quibus cariſſimus erat, preces profectus eſt; primũ anno 1537 vt ibidem apud eundem Pontificem quædam negotia adminiſtraret: deinde anno 1539 vt Cardinalatus dignitatem Vberto Pallauicino eiuſdem Brunori fratri impetraret. In quibus quidem legationibus ita prudenter, ac probè ſe geſſit, vt non modò rei exitum ſemper reportauerit, verum etiam ſummi Pontificis Cardinaliumq; gratiam mirificè ſibi conciliauerit. Interim cùm memoratus Ticinenſis Epiſcopus ab officio eſſet ſuſpenſus; ab Vberto Gambara Cardinali rerum eiuſdem Epiſcopatus adminiſtrationi iterum præfectus, in patriam reuerſus eſt. Quo in munere fuit poſtmodum ab Io. Maria Montio Cardinali, qui anno 1544. eundem obtinuit Epiſcopatum, cuiq; Sacci prudentiam & integritatem multò antea ſatis perſpectam habuerat, confirmatus. Ineoq; vſque ad annum 1550. permanſit. Quo anno Romam tertiò fuit euocatus à Iulio tertio Pontifice maximo (qui Paulo tertio in exitu præcedentis anni premortuo fuerat ſuffectus) vt Cardinalis, Mentini dicti, adoleſcentis nepotis ſui, eiuſque prouentuum curæ atq; regimini præeſſet: qua in re ad vſque eiuſdem Pontificis vitæ exitum perſeuerauit. Et cùm iam eſſet ætate grauis, rerumq; alienarum gerendarum tædio affectus, amiſſa matre Blanca, cuius interitum eodem anno 1550. ſubſecutum per litteras Romæ intellexerat, in patriam rediit: vbi quod reliquũ ſibi vitæ fuit tùm publico, tùm priuato ciuium ſuorum commodo iugiter impendit. Anno denique 1579. calendis Iulij, ætatis verò ſuæ 82. maximo totius ciuitatis mœrore, vita catholicè, vt hominem Chriſtianum decet, functus eſt. Funeris exequias Scipio frater, qui adhuc viuit, vnà cum tribus eius filiis, Paulo, Iacobo, & Hieronymo (à quibus hæc habui, quæ de eorundẽ patruo ſcriberem: à quo etiam ipſe, vti familiaris, cùm adoleſcens eſſem, plura didici) proſecuti ſunt; cadauere in æde diui Thomæ in auorum ſepulchro condito. Vxorem habuit, con qua diù coniunctiſſimè

bus mirum in modum profecit: nam præter Latinam & Etruſcam linguam, Græcam etiam pari facilitate didicit, ac calluit. Adoleſcens effectus cum magno hiſtoriarum, poeticæq; ſtudio detineretur, à patre iuri ciuili Pontificioq; operam dare coactus fuit. In quo quidem ſtudio per quinquennium verſatus, quamuis plurimū profeciſſet, proptereaq; doctoratus, vt vocant, inſignibus publicè dignus haberetur, eam tamen dignitatem, tamquam ab homine libero alienam, renuit. Adultæ verò ætatis factus, increbreſcentibus tunc temporis in Italia & præcipuè in Inſubribus & in Ticinenſi agro inter Carolum quintum Romanorum Imperatorem, & Franciſcum Gallorum regem bellorum tumultibus, quibus Ticinenſis gymnaſij ſtudia vnà cum vrbis tranquillitate ſublata fuere; ipſe paci otioq; deditus, patria ſecedens, Mirandulam agri Ferrarienſis oppidum, tamquam ab eiſdem tumultibus tutiſſimum receptaculum, primùm profugit: vbi apud Ioannem Franciſcum Picum oppidi dominū, (comitem vocant) cui ob præſtantem virtutem atq; excellens ingenium acceptiſſimus fuit; pro magiſtro epiſtolarum adeò ſtrenuè, ac prudenter aliquandiù ſe geſſit, vt ab eodem Pico ad Alfonſum Eſtenſem tunc Ferrariæ regulum, ad aliosq; principes legatus miſſus fuerit, maxima ex eiſdem legationibus laude ſemper reportata. Deinde Curtem maiorem in agro Placentino venit; vbi apud Ludouicam Pallauicinam oppidi Marchioniſſam, vt vocant, ac marchionum eius filiorum minorum tutricem, eodem magiſtri epiſtolarum munere functus fuit: mox illius omnibus in rebus peragendis prudentia, ac dexteritate à Ludouica perſpecta, ab eadem aſſeſſoris primùm, deinde oppidi iuſdicentis, poſtremò eiuſdem oppidi omniumq; aliorum circumiacentium pagorum familiæ Pallauicinæ iuriſdictioni parentium, præfecti generalis loco cohoneſtatus fuit. Marchionum quoque Pallauicinorum precibus pecunijsq; Iacobum patrem, ac Scipionem fratrem natu minorem, à Gallis Ticinum vrbem anno 1527. ſub Lotrecco duce diripientibus, captos & in Galliam abductos, eò profectus redemit, in patriamq;, & inde vnà cū matre ac tota familia, quę Ticini remāſerat, Curtem maiorē reduxit. Cumq; Ticino excidium denuò immineret, vt illicò euenit, Hiſpanis militibus illud diripiētibus, familiam ipſam Mirandulam tranſmiſit, Picoq; commendauit; qui iuſdicentis, aſſeſſoris, iudicisq; appellationum munera Iacobo patri, ob filij erga ſe benemerita, ſucceſſiuè contulit; Scipioni etiam fratri commodis factis. Et cùm eoſdem ad proprios lares paulatim perducere vellet, Fidentiolæ oppidi inter Parmam & Placentiam ſiti, iuſdicentis munus, Pallauicinis, quorum ditionis eſt, pro patre obtinuit. Poſtremò ſedatis bellorum motibus, Bernardus vnà cum patre & familia in patriam ſe recepit, ab Hieronymo Rubeo viro illuſtri, ac Ticini Epiſcopo, accitus:

à quo

à quò Epiſcopalis palatij vetuſtate collabentis, refectioni, aliisq; rebus epiſcopalibus adminiſtrãdis pręfectus fuit; in eoq; perſeuerauit munere, quouſque à Franciſco Secundo Sfortia Mediolani regulo, cui, non modo notus, ſed etiam valde acceptus erat, anno 1534. legatus ad Franciſcũ Gallorum regem memoratum deſtinatus fuit: apud quem benignè exceptus per annum permanſit, eum per diuerſas Galliæ partes peragrantem ſemper comitando. Interea audita patris morte, matriſq; & aliorum tùm amicorum, tùm ſanguine ſibi coniunctorum literis ſolicitatus, domum rediit, anno ſcilicet 1535. quo etiam regulus ipſe Mediolani Franciſcus mortuus eſt. Dum autem rebus ſuis familiaribus ſic compoſitis in patria curis ſolutus otio literario vacaret, bis Romam ad comitis Brunori Gambaræ atq; Virginiæ Pallauicinæ eius vxoris, ac Pauli tertij ſummi Pontificis nurus, quibus cariſſimus erat, preces profectus eſt; primũ anno 1537 vt ibidem apud eundem Pontificem quædam negotia adminiſtraret: deinde anno 1539 vt Cardinalatus dignitatem Vberto Pallauicino eiuſdem Brunori fratri impetraret. In quibus quidem legationibus ita prudenter, ac probè ſe geſſit, vt non modo rei exitum ſemper reportauerit, verum etiam ſummi Pontificis Cardinaliumq; gratiam mirificè ſibi conciliauerit. Interim cùm memoratus Ticinenſis Epiſcopus ab officio eſſet ſuſpenſus; ab Vberto Gambara Cardinali rerum eiuſdem Epiſcopatus adminiſtrationi iterum præfectus, in patriam reuerſus eſt. Quo in munere fuit poſtmodum ab Io. Maria Montio Cardinali, qui anno 1544. eundem obtinuit Epiſcopatum, cuiq; Sacci prudentiam & integritatem multò antea ſatis perſpectam habuerat, confirmatus. Ineoq; vſque ad annum 1550. permanſit. Quo anno Romam tertiò fuit euocatus à Iulio tertio Pontifice maximo (qui Paulo tertio in exitu præcedentis anni premortuo fuerat ſuffectus) vt Cardinalis, Mentini dicti, adoleſcentis nepotis ſui, eiuſque prouentuum curæ atq; regimini præeſſet: qua in re ad vſque eiuſdem Pontificis vitæ exitum perſeuerauit. Et cùm iam eſſet ætate grauis, rerumq; alienarum gerendarum tædio affectus, amiſſa matre Blanca, cuius interitum eodem anno 1550. ſubſecutum per litteras Romæ intellexerat, in patriam rediit: vbi quod reliquũ ſibi vitæ fuit tùm publico, tùm priuato ciuium ſuorum commodo iugiter impendit. Anno denique 1579. calendis Iulij, ætatis verò ſuæ 82. maximo totius ciuitatis mœrore, vita catholicè, vt hominem Chriſtianum decet, functus eſt. Funeris exequias Scipio frater, qui adhuc viuit, vnà cum tribus eius filiis, Paulo, Iacobo, & Hieronymo (à quibus hæc habui, quæ de eorundẽ patruo ſcriberem: à quo etiam ipſe, vti familiaris, cùm adoleſcens eſſem, plura didici) proſecuti ſunt; cadauere in æde diui Thomæ in auorum ſepulchro condito. Vxorem habuit, con qua diù coniunctiſſimè

ctiſſimè

Digitized by Google

ctiſſimè vixit ; & ex ea filiam ſuſcepit , quæ nobili Ticinenſi viro nupta, adhuc viuit. Cæterum fuit re & verbo ab omni illicita libidine abſtinentiſſimus ; à rapinis & ab omni illicito lucro alieniſſimus : religionis etiã, qua præcipuè enituit, fuit maximus cultor : omniumq; mendaciorum, & aſſentationum hoſtis acerrimus. Fuit in ſumma omnibus Chriſtianæ pietatis numeris abſolutus. Statura fuit communi , corpore venuſto, ſano , ac viribus pollente, agili, atq; in paleſtricis ludis exercitato facie ſublonga & ad maciem tendente, colore albo , barba promiſſa , honeſtis & probis moribus: veſtitu eleganti, ſed frugi : in ſermone grauis . erga amicos comis & benignus, & aliquando iocoſus, quibus ſe ſemper læto vultu offerebat. Liberalis ad hæc & munificus fuit , erga pauperes præcipuè: de patria , deque eiuſdem ciuibus , quorum dignitatem vbique tùm ſcriptis tùm armis, vbi opus fuit, protexit , optimè meritus : & in omnibus rebus gerendis prudens ſemper & maturus. In componendis carminibus tùm Latina tùm Etruſca lingua , quibus in iuuentute ſua miruminmodum delectabatur , non minus quàm in ſoluta oratione, fuit ingenioſus & elegans: preterquàm quòd in formandis calamo literarum notis belliſſimè ſe exercebat . Multa elucubrauit opera ; nam præter Ticinenſem hiſtoriam , & enarrationem de Ticinenſis eccleſiæ dignitate , quam à ſubiectione Mediolanenſis metropolitani protexit, ac præſeruauit , elegantiſſimo ſimul ac grauiſſimo ſtylo à ſe compoſita , & dum viueret in lucem edita : de ſacratiſſima Euchariſtia ; item & de eccleſia Dei libros compoſuit ; qui apud memoratos eiuſdem nepotes aſſeruantur.

F I N I S.

Digitized by Google